

**05
A
2374**



Ex Philosophiâ Practicâ
de,
Semivirtutibus & Heroicâ,

Duce Deo & Präside

M. MICHAELE WENDELERO,
Facult. Philosoph. Adjuncto,

CASPARUS PIRGLERUS
Posoniensis Ungarus

publicè disputabit

die 15. Maij horis matutinis
In Auditorio majori.

WITTEBERGÆ,
Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.
ANNO M. DC. XXXIX,

Leipzig August 1788.

Seminarium Heroicum



OS A 2374

Carthusianorum
Gesellschaft der Freunde
der Naturwissenschaften
und der Künste
in Sachsen-Anhalt
Gesamtverwaltung
Halle (Saale)

Continuatio.

Motum fieri successive, Philosophus ait. Idem de malibus habitibus commode pronunciatur. Nam in horum praxi pedetentim ab imperfecto ad perfectius progredimur. Quamvis ob diversam hominis naturam impar sit progressus; quosdam enim egregiam sortitos indolem ad ea, qua traditae solent, pervenire sine longo magisterio experientia testatur, non sensus ac notum est, quibusdam malitiam ita esse implantatam, ut in teneris statim annis germinare incipient secundum tritum: Urtice maturè quod vult urtica manere. Ob has pravias propensiones post virtutum & vitiorum habitus tanto intensius insunt, quanto felicius comparantur. Tres autem virtuosè operantium gradus, ita ut primi incipientes, secundi proficientes, tertij perficientes salutentur. Incipientes pravos affectus possident, sed jugo recte rationis subjiciunt, quamvis cum luctâ. Proficientes inordinatos affectus ita reprimunt, ut facile rationi vietas dent manus. In perficientibus ita cupiditates sunt cobitae, ut raro rationi refragentur. De virtutibus medijs gradus egimus: restant primus tertiusq[ue], hoc est, semivirtutes & Heroica, circa quas praesens diaconeis occupata est.

Membrum primum.

de

SEMVIRTUTIBUS.

Præcepta.

1. Semivirtus est habitus imperfectus, & minus felicitate in subjecto radicatus, quo appetitum reluctantem & indomitum rationis imperio subjicimus.
2. Species ejus sunt Continentia & Tolerantia.
3. Continentia est dispositio, quâ inordinatas voluptatum cupiditates rationi reluctantibus cum hujus luctâ imperio subjicimus.
4. Tolerantia est dispositio, qua dolores & molestias animo invicto, licet cum dolore quodam, honestatis gratia perferimus.

Explicationes.

1. §. Aliis nervi virtutum & vitiorum, nec non principium & viæ dicuntur. Imperfecti habitus sunt, quod quamvis virtutes non sint, magnam tamen cum iis habeant cognitionem. In his enim vel ratio, vel appetitus non planè dominatur, ut in virtutibus, sed lucta quædam est rationis & appetitus. Hinc dicuntur dispositiones, quia non sunt meræ potentiae, & habitus, quatenus impropriè accipitur. Ob id vox imperfecti additur.

2. §. Divisio non est generis in species, sed subjecti in adjunctum. Perfectæ dicuntur non respectu generis, sed subjecti, in quo perfectæ vel imperfectæ existunt. Discrimen est manifestum. Virtus longo & crebro honestarum actionum exercitio & iteratione acquiritur, & constans & difficulter mutabilis cupiditates plenè domitas sub freno rationis continet, & denique summam ex virtuosis actionibus voluptatem percipit. Contrà imperfecta virtus brevi assuetudine comparatur, inconstans & facile mutabilis est, plenum dominium in appetitum non obtinet, & tandem voluptatem cum aliquâ molestiâ mixtam homini affert.

3. §. Species harum quamvis tot sint, quot virtutes, cùm & semifortem & semitemperantem &c. aliquem nominemus, solent ad duas tamen referri species, videlicet Continentiam & Tolerantiam. Continentia non sumitur (à continendo. Continere vero est invitum & quasi repugnantem tenere) pro Temperantiâ, neque abstinentiâ à Venere, sed pro habitu imperfecto, quo bonum & rectum in delectationibus eligimus cum internâ sensuum pugnâ.

4. §. Hujus objectum est vel primarium vel secundarium. Primarium sunt voluptates corporis, quæ percipiuntur ex alimento & Venere. Secundarium constituunt voluptates ex honore, ditiis, potentia, libertate, multitudine liberorum aut amicorum, formâ, robore corporis, valetudine & plurimis aliis perceptæ. Circa hæc versatur non simpliciter, sed secundum quid. Hinc in his exorbitans appellatur non simpliciter incontinentis, sed cum additione incontinentis iræ, vindictæ &c.

5. §. Differt tum à Temperantiâ, tum à Pertinaciâ. i. Continentia est principium, Temperantia complementum, Conti-
nens

inens ex affectu, temperans ex certo consilio agit. Voluptates aliter Continentiae scilicet cum pugnâ, aliter Temperantiae, hoc est, sine pugnâ subjiciuntur. Continentia circa omnium sensuum voluptates versatur: Temperantia tantum circa eas, quæ ex gustu & tactu percipiuntur.

6. §. Differt continens à pertinace. Nam Continens in laudabili proposito persistit, à quo nullâ cupiditate est dimovendus. Cedit tamen meliora docentibus sententiæque priori, si bona non fuerit, valedicit. Hoc sit dupli modo. Quidam enim à suo proposito discedunt, agnito errore. Quidam etiam bonum propositum relinquunt ex quâdam animi levitate vel ob lucrum aut aliam quandam causam leviorem. Unde illi Continentes, hi Incontinentes ceasentur. Pertinax malo proposito firmiter adhæret & opiniones suas mordaciter defendit. Triplex est pertinacium genus. Quidam enim sunt *ἰδιογνώμονες* quidam *ἄνθρακες* & denique quidam *ἄγροικοι*.

7. §. Corollarium ex his emergit tale:
Continentiam non esse perseverantiam in proposito negat, Incontinentiam mutationem.

Nam si hoc, sequetur quod is, qui in malo proposito persistit, sit continens, adeoque laudandus: & contrà, qui malum propositum mutat, sit incontinens, & reprehendendus. Quæ omnia sunt *ἄλογα*.

8. §. Extrema sunt simplex aversatio, etiam honestarum voluptatum, atque Incontinentia. Priores in defectu peccantes vix reperiuntur, qui simpliciter omnes voluptates contemnunt. Vitium in excessu peccans est improba affectio, quâ quis contra rectæ rationis judicium à pravis affectibus invitus ad peccandum trahitur.

9. §. Hujus quasi species sunt duæ, Præcipitantia atque Infirmitas. Præcipitantia est, quâ quis subito & per imprudentiam ad peccandum abripitur. Infirmitas est, quâ quis pravis cupiditatibus ad tempus quidem resistit, tandem verò defatigatus superatur, & ad peccandum præter voluntatem impellitur.

10. §. Posterior species priori longè deterior. Hæc enim habet spatium sese præmuniendi adversus pravos affectus; illa deli-

berandi tempus non permittit, sed hominem præter opinionem corripit ante, quām cogitet, quomodo affectibus obviam eat. Accedit, quod infirmitas sæpe levioribus dominium tradat, Præcipiantia autem non nisi vehementioribus, qui hominem cum imperio invadunt.

11. §. Tolerantia (*à tolerando res adversas*) non sumitur pro habitu adversa ferendi ex longo usu orto, nec pro affectu virtuoso, qui neque præceptis nec usu magnopere approbatur, neque pro fortitudine, sed pro ipsa actione perferendi dolores. A non nullis vocatur Patientia, ut & Constantia.

12. §. Objectum externum sunt dolores, quibus plerique succumbunt. Circa hos tolerans propriè est occupatus. Internum est ipse irascendi appetitus, qui supprimendus est. Quamvis & continens aliquo modo circa dolores occupetur, sit tamen illud impropriè, quia magis in superandis, quām perferendis consistit. Hinc & Continentia magis, quām Tolerantia affectanda.

13. §. Differt à Fortitudine. Fortitudo est habitus perfectus, Tolerantia imperfectus. Unde fortis homo plenâ voluntate sustinet pericula, tolerans cum luctâ. Fortis pericula & sustinet & adit ultrò, ubicunq; fuerit opus: tolerans quamvis sustineat, tamen adit, nisi urgente necessitate.

14. §. Extrema considerantur generaliter & specialiter. Generale extrellum est Impatientia, quæ ægrè labores & dolores sustinet. Speciale excedit & deficit. In excessu est pertinacia, quâ sine honestatis ratione quævis adversa tolerantur. In defectu est mollities, quæ planè nullos labores honestatis gratiâ perfert.

15. §. Hæc vel voluntaria, vel non voluntaria seu insita. Voluntaria nostrâ culpâ contrahitur, atque in ignavis otiosis & iis, qui lusui sunt dediti, reperiuntur. Originem dicit à naturâ, ætate, sexu & morbo. Sequitur Corollarium:

Non voluntariam seu insitam non esse vitium morale.
Non enim promanat à pravis actionibus, ut virtua, quæ virtutibus Ethicis opponuntur, sed à pravâ quâdam dispositione seu animi seu corporis, testantibus id abunde pluribus exemplis.

16. §. His adponunt Misericordiam & Verecundiam, non tam,

canquam Virtutes, sed ut affectus seu dispositiones. Observa dispositiones esse duplices: *naturales*, quæ nobis à naturâ competunt, atque *acquisitas*, quæ nostrâ diligentia comparantur. Dispositiones merè naturales sunt vel instinctus naturales vel affectiones animi probi & candidi.

17. §. Instinctus est interna quædam instigatio ad aliquid peragendum, recipiendum dicendumve. Generaliter sumitur pro quâcunque inclinatione. In hoc sensu commodè dividitur in divinum & humanum. Divinus à Deo oritur. Humanus est, quo ob varietatem temperamenti distinctamque corporis constitutionem alii homines in virtutes, alii in vitia magis minusve propendunt.

18. §. Affectiones animi probi sunt Verecundia & Misericordia. Misericordia est affectus animi, h. est, dolor & tristitia ex adversis rebus alterius, sine culpâ ipsi contingentibus ab impulsu atque instinctu naturæ originem trahens. Pugnant cum hoc affectu in excessu Crudelitas, nimia iracundia, vindictæ cupiditas, οὐτιχαρεκανία, invidia: in defectu lenitas negligens atroces injurias, indulgentia superiorum ad delicta enormia, & lenitas, quæ nullos sentit motus, nec irascitur turpitudini & sceleribus, quibus irascendum erat.

19. §. Verecundia est metus ignominiae ob turpitudinem vel veram vel apparentem. Distinguitur à pudore. Nam pudor est metus dedecoris ob turpe aliquod factum commissum. Verecundia ob factum, quod turpe habetur non tam in rei veritate, quam ex hominum opinione. Cum Verecundiâ in excessu pugnat Impudentia, quâ quis Deum contemnit, & sine omni respectu judiciorum & conscientiæ frenum sceleribus laxat: in defectu stupor, quo quis nimium verecundatur, in rebus etiam honestis, ita ut ea facere recusat, quæ absque honestatis læsione facere & poterat & debebat.

20. §. Ex his deducuntur sequentia duo Corollaria:

i. Misericordiam & Verecundiam non esse Virtutes.
Nam quamvis misericordia laudem mereatur, quod ob alterius res adversas doleat, virtus tamen esse nequit. Hæc enim à naturæ instinctu non dependet, sed ab habitu eligendi bonum hone-

honestatis causâ. Ob easdem causas & Verecundia numero virtutum eximitur. De aliis non dicemus, quòd Verecundia per accidens, quatenus est dolor quidam ob admissum peccatum laudetur, quod tantum in adolescentibus commendetur, quòd non deceat virum bonum, cùm ex turpitudine sæpè ortum trahat: denique quòd à turpi se contineat ob metum dedecoris.

21. §. Teneas, ab Ethicis misericordiam etiam accipi pro voluntate subveniendi in opere alterius studio honestatis. In qua acceptione quia est actus recte rationi consentaneus & sit ex liberali animi electione, est virtus specialis, seu potius multarum virtutum videlicet justitiae, humanitatis, mansuetudinis, patientiae & liberalitatis complexio.

22. §. Observa multa, quæ per se turpia non sunt, ratione personæ turpitudinis aliquid contrahere. Sic comedere poma in foro per se turpe non est, quia hoc in vulgo non reprehenditur: ratione vero studiosi turpe dicitur. Ideoque commode in definitione verecundiæ additur, quòd sit metus ob turpe factum quo ad personam commissum.

QUÆSTIONES.

Questio Prima.

Num virtutes morales recipient magis & minus?

1. §. Distinguendum inter perfectionem virtutis essentialēm atque accidentalem. Secundum priorem non recipit magis & minus, quia unius cuiusque rei essentia est certa & distincta. Secundum posteriorem recipit magis & minus, quia virtus per gradus ob actionem, aliarumque circumstantiarum varietatem acquiritur. Hinc, teste experientiâ, non tantum unus altero, sed etiam unus idemq; seipso respectu diversi temporis consideratus, est virtuosior.

2. §. Deinde observandum est, virtutem secundum suam perfectionem accidentalem posse considerari, vel quatenus omnibus numeris est absoluta, vel quatenus non est absoluta. Non priori, sed posterior modo recipit magis & minus pro intensione seu remissione rerum, quæ ad virtutem vel constituendam vel

exer-



exercendam requiruntur. Inde quælibet virtus ex circumstantia-
rum varietate major vel minor cognosci potest.

Questio Secunda.

Nuni Intemperans sit deterior Incontinentे?

1. §. Affirmamus. Nam intemperans, quia est corruptæ
naturæ, non agnoscit suum morbum, quo laborat. Ergo non po-
test curari. Incontinens verò vitium suum agnoscit, etiamsi non
utatur planè integrâ ratione. Dolet tamen post factum se contra-
rectam rationem egisse. Jam qui potest converti, melior est eo,
qui non potest converti. Incontinens &c. E.

2. §. Deinde intemperans agit ἐν περιπέσεως, quia hunc
non pœnitit sui vitii. Incontinens verò παρὰ τὴν περιπέσεων,
cùm hunc sui vitij pœniteat. Omnis autem qui operatur malè
certo studio, deterior est eo, qui agit citra electionem. Intem-
perans est talis. E.

Questio Tertia.

Utrum Incontinens scienter, an ignoranter peccet?

Respondemus, utrumque posse habere locum. Inconti-
nens partim sciens, partim ignorans peccat. Sciens agit,
quatenus in genere scit, quid sit honestum, vel turpe, quid faci-
endum vel omittendum. Ignorans dicitur agere, quatenus uni-
versalem illam scientiam non applicat singularibus illis actioni-
bus, circa quas versatur.

Questio quarta.

Num Incontinens possit esse prudens?

Negamus. Incontinens enim res pravas sequitur, neque
quamvis sciat, quid sit faciendum, quid omittendum, hanc suam
cognitionem in actum dirigit ob affectus, quibus tota illius scien-
tia quasi obliteratur, imò ad res agendas planè est ineptus, cùm
neque rationem, neq; περιπέσεων integrā sequatur, sed utramq;
potius nimia cupiditatum vehementia corrumpat. Nam quoad
usum rationis quasi dormit, & quoad affectus quasi furit.

Questio quinta.

**Utrum Incontinens sit homo improbus & malus
nominandus?**

B

Nega.

Negamus; quia Incontinens non peccat consultò aut insidio-
sè & fraudulenter, sed tantùm ex quâdam animi perturbatione,
quâ præter opinionem & voluntatem suam subitò ad peccan-
dum abripitur. Est in ipso electio adhuc bona; eligit enim ea,
quæ sunt honesta & recta: vicius autem à cupiditatibus ea non
exequitur.

Quæstio sexta.

Num Incontinens solo appetitu peccet?

1. §. Nullo modo. Nam concurrit hic ratio, quamvis debilis,
dum ab appetitū vincitur, atque in ejus sententiam pertrahitur.
Hinc patet bestias, non posse dici incontinentes, quia ratione
prorsus destituuntur, & solo appetitū ducuntur.

Quæstio septima.

Num Incontinens iræ sit deterior, quàm Inconti-
nens alimenti & Veneris?

1. §. Negamus. Negationis fundamenta sunt, quia inconti-
nens audit rationem, quæ jubet illatam injuriam propulsare,
quamvis non integrè & perfectè: audit, quamvis tardè. Prius
enim, quàm legitimum vindictæ modum ex ratione cognoscit,
ad vindictam properat. Incontinens voluptatum, ratione ne-
glecta, toto impetu sequitur sensuum judicium. Ergò quia hic ra-
tioni aliquo modo obtemperat, ille non, sequitur incontinentem
alimenti & Veneris esse deteriorem incontinentem iræ.

2. §. Præter hoc & alia idem afferunt, quòd Incontinentia
alimentorum ex hominis voluntate dependeat, & conjungatur
cum insidiis & dolis. Hinc Venus vocatur δίχοτλόν Θεός, & ejus
zona ab Homero depingitur plena fraudibus, quibus etiam
prudentis viri oculos perstringere, mentesque excœcare pos-
sit. In Incontinentia iræ hæc non sunt. Non enim est volun-
taria, quia ex naturali corporis dispositione ob choleræ abundan-
tiam proficitur. Hinc ejusmodi homines etiam inviti & cum
magna valetudinis jacturâ levissimis de causis ad iram moventur.
Non sunt callidi & fraudulentí, sed aperti. Non enim diu de-
liberant de insidiis alicui struendis, sed aperto Marte lædentem
adoriuntur.

Quæ-

Quæstio octava.

AnVerecundia in senes & bonos quandoq; cadat?

1. §. Verecundia, ut includit metum infamiae ob aliquod factum, quod ex solâ hominum existimatione turpe judicatur, in senes & bonos viros cadere potest: v. g. si quis à militibus denuo datus vestitu in publicum prodiret, vel alia ob summam urgentem necessitatem, quæ alias ipsum non decent, agere cogeretur.

2. §. Verecundia verò pro metu infamiae ob turpe factum sumta in sene & bono viro planè est vituperabilis, quia non decet nos quidpiam facinoris committere. Hoc ubi sit, colligere possumus, hunc ex malitiâ quâdam, non ex ignorantia delinquisse.

Quæstio nona.

Num melius sit pudore affici ob turpia facta, quàm impudentem esse?

Quamvis ob turpia facta pudore suffundi in se malum sit, tamen comparatè melius est, quàm esse impudentem. Nam pudor iste arguit in hoc micam probitatis & honestatis adhuc restare, adeoque spem future pænitentiæ superesse. Hinc illud Terentianum: *Erubescit, salva res est.* Contrà impudentia indicio est deperditi ingenij, cùm hoc nullo honestatis amore tangatur, omniq; resipiscendi spe abjectâ de redditu ad vitam meliorern; nunquam cogiter.

Quæstio decima.

An quis verecundiam erga semetipsum exercere queat?

Omnino. Rationes affirmandi sunt haec: quia homo seipsum moderatè amare tenetur. Ergo etiam erga semetipsum verecundus esse potest. 2. quia qui non verecundus, erga seipsum, neq; erga alios esse potest. Hinc illud: Reverentiâ apud omnes dignus eris, si primùm coepiris teipsum revereri.

Quæstio undecima.

Cur quidam pudore affecti in vultu erubescant, quidam palleant?

1. §. Etiamsi tota quæstio ferè Physici sit, tamen non inconvenienter, ut alia plurima in Ethicâ ex Physicis illustrantur, hic

B 3

hujus



bujus affectus redditur ratio ob meliorem præcedentium intellectum. Sciendum ergo, pudorem comitari ex amore honesti & metu infamiae. Qui duo affectus concurrentes corvehementius impellunt, quia duo contraria sunt fortiora. Cor ita vehementer commotum impellit spiritus, simulque sanguinem venis inclusum: sanguis commotus attenuatur, & fertur sursum ad instrumenta sensuum, quæ magnâ spirituum copiâ indigent. Et quia buccis & genis musculi insunt moliores, rubicundum calorem facillimè concipiunt.

2. §. Contraria causa est in ijs, qui ob admissum facinus subito pallorem ostendunt. Cor enim ibi ob admissum facinus laborat. Ergo ubi cor & temperamentum non rectè est compositum, & tantum metus infamiae deprehenditur & non simul amor honestatis, tum sanguis & spiritus recedunt ad cor, tanquam ad suum fontem. Unde ob spirituum copiam magna cordis palpitatio & pallor faciei spiritibus & sanguine destituta. Et sic vitiæ naturæ non tam erubescunt, quam pallescunt ad infamiae turpitudinisque metum.

Membrum secundum.

VIRTUTE HEROICA.

Præcepta.

1. Virtus heroica est habitus animi divinitus quibusdam concessus ad ejusmodi actiones perficiendas, quæ alioquin humanis viribus præstari nequeunt.

2. Hujus extrema sunt summa ignavia & feritas seu Bestialitas.

3. In defectu est Ignavia seu ineptitudo ad omnem virtutis impetum.

4. In excessu est Bestialitas, quæ est vitium, per quod homo, excusso rectæ rationis judicio omnique humanitate abjecta, ferarum more amplectitur ea, à quibus animus humanus naturaliter abhorret.

Expli-

Explicationes.

1. §. Græca est hujus vocis origo, quam quia Latini exprimere non potuerunt, retinere fuerunt coacti. Deducitur δύναμις ἀπὸ ἀρετῆς ab amore, quia vehemens ille amor fervidumque virtutis studium in Heroicis naturis est quasi vita heroicæ dignitatis, sine qua neque esse, neque servari potest.

2. §. Acceptio ejus est gemina: Theologica & Philosophica. Theologicè sumta prædicatur de iis, qui splendore virtutum Theologicarum à Spiritu sancto accensarum communem hominis conditionem superant. In quorum numero sunt ij, qui in Dei dilectione spe, fiducia &c. firmiter perseverant, ut & Martyres, qui pro cœlestis doctrinæ veritate usq; ad sanguinem dimicant. Philosophicè accepta impropriè tribuitur artium inventoribus ut Aristoteli, Archimedi, Eucli &c. propriè ad moralium virtutum chorūm pertinet, quarum notat eminentiam.

3. §. Hujus Synonyma sunt virtus divina, affectio divina, non ac si esset Dei affectio & virtus, sed quia facit homines aliquo modo similes Deo. Nam qui hæc sunt instructi, videntur magis ad similitudinem Numinis ascendere, quam ad hominum infirmitatem descendere.

4. §. Definitio resolvitur in genus & differentiam. Genus est habitus, cum referatur ad facultatem rationalem imperantem, videlicet intellectum & voluntatem, quam cum virtutibus moralibus pro subjecto agnoscit.

5. §. Differentia continet causam efficientem atque objectum. Causa efficiens est Deus (*habitus divinitus concessus*) qui nisi afflatu suo heroicos animos excitaret, ac facultatem eam, acquirendi, excolendi atque exercendi largiretur, frustra esset omnis cogitatio de eâ suscipienda. Afflatus autem ille divinus quia paucissimis contingit, ideo hæc virtus rara est inventu. Hæc causa efficiens inferiores includit, quales sunt natura excellens, educatio bona & felix institutio.

6. §. Objectum secundum Philosophum (attende, ut in idea depingatur aquæ ac Summum Bonum) sunt actiones omnium virtutum, per naturam tamen immutabiles ob divinum stimulum qui cum virtute Heroicâ specialiter concurrit. Ergo non sufficit

magna moliri, sed requiritur, ut conatus eventus respondeat. Hinc Heros supra humanam conditionem elevatur, quam vincit ita, ut etiam in summis miseriis decus tum personæ, tum virtutis suæ tueatur.

7. §. Hinc Corollarium fit tale:

Virtutem Heroicam esse omnium virtutum summam perfectiōnem, & tot species, quæ virtutum moralium.

In qualibet enim virtute reperitur eminentia. Sic datur fortitudo Heroica, Temperantia heroica &c.

8. §. Extremum in defectu nobis audit summa ignavia, hoc est, ineptitudo ad omnem virtutum stimulum. Hoc vitium raro contingit: studiosos tamen hujus dicunt fuisse Sybaritas, qui hanc legem sanciebant: *Nemo nostrum frugi esto.* In excessu dicitur Feritas seu Bestialitas, non quod ferarum sit, in has enim neque Virtutes neque Vitia cadunt, cum ratione & electione prorsus destitutæ solâ appetitu ferantur: sed quod homines similes feris reddat magis, quam alia vitia circa mores fugienda.

9. §. Optimè hujus natura ex definitione Virtutis heroicæ patescit. Ut enim hæc tanquam fulgor omnium virtutum hominem elevat supra humanam conditionem: ita bestialitas, humana appetitionis perversio, reliqua vitia turpitudine suâ longo intervallo post se relinquit, hominemque infra humanam conditionem deprimit.

10. §. Duplex hæc constituitur, ita ut alia fiat cum ratione, atque alia absque ratione. Ultima vel nihil, vel aliquid rationis habet. Prior est *paucia* laborantium, Herculis, Medeæ, Cleomenis, Spartanorum regis. Posterior vel *morbosa*, quæ ex morborum honorumque depravatione consurgit, ut fœmellarum pica, quâ modo hoc modo illud appetunt, adeò ut ne terrâ quidem aut carbonibus extinctis, aut humana carne & sanguine abstineant: *Vel naturalis*, quæ à navitate inest vel integræ cuidam nationi in sylvis instar bestiæ degenti, vel singulis, quæ ex societate civili præ desperatione se subducentes instar belluæ vitam agunt, & pilos sibi ipsi evellunt vel ungues erodunt.

11. §. Feritas cum ratione conjuncta est vitiosus habitus, quem homines committunt ex quâdam eminentiâ. Reperitur in ijs, qui

qui cruore inimicorum pascunt oculos, aut qui se oblectant aspe-
ctu suppliciorum. Distinguitur à vitio morali secundum ma-
gis & minus, proprièque Heroicæ virtuti opponitur. Conspi-
citur in singulis virtutibus ita, ut tot sint species feritatis, quot vi-
tiorum virtuti morali oppositorum.

QUÆSTIONES.

Quæstio Prima.

Num detur virtus Heroica?

1. s. Non male opinantur hīc plurimi, Philosophum in idēā
tantūm describere, quid homini sit faciendum, non quid facere
possit, hoc est, quotidie summis viribus laborandum, ut non tan-
tūm morales habitus continuis exercitiis augeantur, sed etiam
ad summum vigorem ascendant. Ita Xenophontem $\omega\delta\tau\eta\varsigma$ τῆς
 $\pi\alpha\iota\delta\epsilon\iota\alpha\varsigma$ Υ& Kύρου plurima ajut tradere, non quod Cyrus talis
fuerit, sed quod princeps talis debeat esse. Et hæc ita sese ha-
bere, omnino fatendum cuilibet esse autumamus. Nam quæ-
so monstretur in hoc miserrimo statū mihi subjectum, quod
eminenter secundum omnes virtutes vel operatum fuerit, vel
operetur? Dabimus, propositum in quibusdam, sicut loquun-
tur, & divinum afflatum adesse: num verò propositi exsecutio-
nem? dubitamus. Hanc autem requiri, paragraphus sextus
docet, nimirum conatum eventui respondere debere. Hæc
sunt, quæ quidam objiciunt.

2. s. Nonnulli docent, eos, qui hanc virtutem in dubium
vovent, nec rectâ ratione, nedum heroico spiritu esse præditos,
cùm de ijs, quæ sensibus sunt, obvia dubitent. Dari virtutem
heroicam probant à naturâ contrariorum atque exemplis. Tria
circa mores maximè sunt fugienda $\chi\alpha\iota\alpha$, $\alpha\pi\epsilon\alpha\iota\alpha$, & $\theta\eta\pi\gamma\circ\tau\eta\varsigma$, id est, vitium, incontinentia & feritas. Ergò etiam
tria sunt expetenda. Nam contraria sunt nata fieri circa idem
subjectum. Exempla sunt plurima. Ex profanis maximè ce-
lebrantur Hercules Scævola, Regulus, Scipio, Epaminondas,
Alexander Magnus, Julius Cæsar: ex sacris Abrahamus, Jose-
phus, Josua, Jobus, Samson, Salomon, Elias, aliique multi, in-
primis Martyres.

Quæ-

Quæstio secunda.

Num Heroica virtus sit Ethicæ considerationis?

Quidni? Moralium enim virtutum doctrina ad Ethicam spectat. Ergo etiam virtutis heroica, quæ non specie, sed gradu & virtute morali differt. Imperfectarum legitima est in Ethicâ consideratio. Ergo etiam perfectissimæ.

Quæstio tertia.

An virtus heroica sit necessaria?

Necessaria est non ratione Individui, quia omnes homines hujus non sunt capaces, ut Justitiae, Temperantiae &c. sed totius generis humani, Deus enim quandoque certo tempore & consilio Heroes ad Ecclesias & Reipub. defensionem excitat, ut per hos, tanquam salutaria media, conserventur, hostesq; publicæ pacis opprimantur.

Quæstio quarta.

An Heroica virtus sine vi & concursu naturæ in homine existat?

i. §. In virtute Heroica & Deus & natura concurrit: Deus ut causa principalis, quæ secundas includit. Nam ut Deus opera sua ordinaria sine mediis naturalibus non producit, ita ut in heroe ejusmodi media sunt spectanda, eaque vel interna, vel externa. Ad interna refertur ardens istud desiderium finis cuiusdam eminentioris, quo heroes plerunque vulgari hominum sorte negligunt ad altiora spirant. Externa sunt propositi executio, atq; executionis constantia, ne vel affectibus impediatur, vel voluntatum illecebris aut molestiis & difficultatibus in proposito retardentur: & successus felicitas. Fortuna enim multum auxiliij subministrat. Nam herois est ea vincere, quibus passim humana conditio succumbit. Hic est nexus causarum naturalium, quo Deus nunquam excluditur. Ergo concurrit, & quidem magis, quam ad cæterarum actiones ob majores hujus virtutis actus, solis hominis viribus non præstandos.

Que-

Quæstio quinta.

**Num virtus heroica sit omnium virtutum
moralium?**

Omnium quidem moralium potest esse eminentia quædam, sed tamen illæ potissimum heroicæ dicuntur, quarum, utpote iustitiae, fortitudinis, temperantiae, liberalitatis, mansuetudinis, major difficultas, splendor, dignitas, & necessitas. Homiliticis id nominis vix est tribuendum. Magnanimitas & Magnificentia sæpe quidem sunt virtutes heroicæ, non tamen semper, quia harum splendor quandoque deficit.

Quæstio sexta.

In quibus rebus maximè fulgeat & exeratur virtus heroicæ?

Maximè conspicitur (1) in rebus, quas mundus amat atq; admiratur, alto animo contemnendis: (2) in bonis appetendis, quæ gloriam Dei, Ecclesiæ & Reipublicæ commodum, aternamque hominum salutem concernunt: (3) in magnis & præclaris promtè atque alacriter suscipiendis, celeriter, expedite & constanter gerendis, feliciterque perficiendis: (4) in rebus arduis & adversis omnibus magno atque infracto animo tolerandis, in primis contemnendâ morte, quæ inter mala corporis terribilissimum est: (5) in promovendo bono publico, ita, ut proprium negligatur.

Quæstio septima.

**Num virtus heroicæ etiam Intellectualium
virtutum splendor sit?**

1. S. Non quæritur hîc, utrum virtus heroicæ sit magis conspicua in Moralibus, quam in Intellectualibus. Hic enim est manifestum, quod morales apud imperitum vulgus majorem admirationem moveant, quam Intellectuales, eò, quod illarum actus omnium oculos perstringat, harum verò in mente possessoris tantùm resulgeant. Verùm in hoc potissimum cardo disputationis vertitur: an excellentia intellectualium virtutum nullâ ratione heroicæ virtus dici queat?

C

2. S. Af.

2. §. **Affirmamus.** Nam si nimia virtutum intellectualium ruditas est feritas, utique earundem excellentia erit virtutis excellentia, cum oppositorum sit opposita ratio. Prius patet. Homines enim dicuntur naturam suam exuere & in bruta degenerare, si mentem habitibus intellectualibus non excolant. Ergo excellentia virtutum Intellectualium est aliquomodo virtus heroicæ. Deinde quia intellectuales nos Deo assimilant. Ergo in illis heroicæ virtus quodammodo conspicitur. Hæc enim nos Deo similes reddit, quatenus ex mortali hâc naturâ & sorte nos elevat in statum Deo vicinorem.

Questio octava.

An in Virtute heroicâ detur mediocritas?

Affirmamus. Sicut in omni virtute morali medium datur, ita & in heroicâ, quæ à cæteris specie non differt. Mediocritatem extrema stabiliunt, utpote summa ineptitudo & feritas. Hæc in Heroicâ, quatenus absolute consideratur, habent locum. Respectu virtutum, quarum est eminentia, non datur mediocritas, sed summitas.

Questio nona.

Utrum differat specie à reliquis virtutibus?

1. §. **Negamus**, quia cum reliquis definitione, fine atque objecto convenit. Heroica enim participat de definitione moralis virtutis tam generali, quam speciali. Est habitus electivus &c. Ita datur fortitudo heroicæ, quæ servat mediocritatem circa metum & fiduciæ: temperantia heroicæ, quæ medium tenet inter voluptates & dolores, & ita consequenter.

2. §. **Convenientia** est in objectis & fine. Finis omnium est moralis felicitas, ad quam tendunt. Occupatur circa moderandos affectus, quos ita temperant, ne vel sint nimij, vel planè nulli: circa dirigendas actiones, quas ita moderantur, ut inter utrumque medium servetur.

Quæ-

Questio decima.

**An Magnificentia & Magnanimitas sint
species virtutis heroicæ ?**

Negamus, ut ut primâ fronte videatur esse speciosum, ob
requisitorum virtutis heroicæ defectum, quæ de his non prædi-
cantur. Non enim elevant hominem supra humanam condi-
tionem, non oriuntur ex divino afflato, existunt in hominibus,
qui heroico spiritu non sunt præditi.

Questio undecima.

Num virtus heroicæ cadat in fœminas?

1. §. Ut superius fortitudinem à sexu fœmineo in viâ Reipubli-
cæ ordinariâ removebamus, ita & Heroicam virtutem. Non
enim querimus hîc, quid extraordinariè fiat, quatenus fœminæ
animo & affectibus sunt masculæ, masculisque virtutibus instru-
ctæ, quasque natura solertes, industria literatas, experientia sa-
pientes facit: sed quid ordinariè. Hic ergò ut in Ecclesiâ mulieris-
cundum divina præcepta tacendum, ita & in Republicâ.

2. §. Exempla, quæ ex sacro petuntur codice, mittimus.
Profana quod spectat, sunt dubia: ut Semiramidis, Amazonum,
Elisabethæ reginæ Angliæ. Semiramis à filio suo, teste Justino,
concubitum petiit: Amazones, si fuerint (hodierni enim negant,
qui, mundo pluribus vicibus peragrato, tale muliebre imperium,
nullibi repererunt) audaciæ accusantur. Elisabetha laudatur
ab his, culpatur ab illis. Hinc Poëtæ cujusdam epigramma:

Quod crudelis erat, de patre recepit Elisa:

Quod lasciva, habuit matris ab arte sua.

Hæc pugnant cum hujus virtutis objecto, quod sunt perfectæ
omnium virtutum actiones. Cæteræ rationes omnes probant,
quod possit fieri.

3. §. Fateamur, fuisse hujus oppositum, scilicet Bestialitatem
in Medéa. Ergò etiam heroicam virtutem quondam in aliquo
fœmineo extitisse subjecto. Dubitamus. Posito, quod fuerit, sed
quia adeò est infrequens, tutius est negare, quam affirmare, cùm
una hirundo non faciat ver.

S. 4 Hoc non nudiis tertius quidam Ethicorum observant. Hinc docuerunt, hoc divinum calcar frequentius inesse viris, quam fœminis, majoremque in illis splendorem, quam in his obtainere. Quidam ajunt, mulierum virtutem tūm censendam esse heroicam, factā inter mulieres comparatione. Ut enim viri est inter viros excellere, ita mulieris inter mulieres. Ex quibus itidem nostra sententia stabilitur.

Quæstio duodecima.

An virtus heroica quibuslibet viris competere queat?

1. §. Respondent, nobilibus atque ignobilibus competere cum quadam tamen differentiā. Competit primariò viris Principibus, illustri loco natis, splendidè educatis, communibus & conspicuis populorum exemplis, in quibus, tanquam in sublimi sede omnia splendidè fulgent. Pòst in inferiori hominum gradū constitutis potest attribui, utpote civibus, præsertim, qui degunt in urbe liberâ. Variæ enim offeruntur opportunitates erga patriam pro communi bono & cæterorum salute fungendi muneribus heroicæ virtutis.

2. §. Rationes horum sunt, quia in omni hominum statu feritas locum habet. Ergò etiam virtus heroica, quæ huic opponitur. 1. quia omnis homo per virtutem operans supra hominis conditionem extolli valet. 2. quia historiis proditum est, plurimos viros ignobiles, humili loco natos, munere suarum actionum evasisse illustres.

3. §. His opponimus geminam rationem ex superioribus (**ex §. 5.**) Ubi cunque non est bona educatio & felix institutio, ibi virtus heroica esse nequit. In quolibet hominum statu, videlicet in pauperibus &c. Ergò. In quibus (**ex quæst. 5.**) splendor virtutum deficit, ibi neq; heroica locum invenit. In inferioribus hominibus deficit. Non enim poterunt exercere Liberalitatem, ut ut sit intentione hanc exercendi. Ostende mihi omnes, quæ requiruntur §. 6. omnium virtutum actiones? Ergò quamvis possint, non tamen facile emergunt, quorum virtutibus obstat res angusta domi.

Quæ-



Questio decima tertia.

An feritas deterior vitio morali?

Distinguimus ex paragrapho inter feritatem naturalem, morbo contractam & acquisitam. Non prior, quia hic aut nulla, aut tantum aliqualis ratio, sed posterior est deterior vitio morali. Hæc enim improbam rationem includit, & directè Heroicæ virtuti opponitur.

Questio decima quarta.

Num spurii etiam hujus virtutis participes esse queant?

Omnino. Multi enim horum ingenio excuso & virtute insigni pollentes res magni ponderis gesserunt non invitâ fortunâ. Causas reddunt Theologi, Physici atque Ethici. Theologi, quod Deus humiles tollat in altum, atque excelsa deprimat: Physici, quod spuriorum ingenia & corpora sint magis vegeta, cum parentes habeant plerumque juvenculos & bene validos: Ethici, quia cum passim contemptui habentur, summo virtutis studio hanc nominis maculam eluere conantur.

Questio decima quinta.

An facta heroum extraordinaria sint imitanda?

Quod faciunt duo, non est idem. Itaque sciendum, horum facta extraordinaria neminem decere imitari, nisi qui sentiat in sese virtutem & spiritum, quo heroes, quos imitari laborant, illi fuerunt prædicti, ne fiat, ut de quodam studio jocantur;

Simia Weinrichij, Postillarum caballus.

Magni hoc est laboris, cum de' Heroum factis non semper ordinario modo sit judicandum, ob excellentiam atque eminentiam, actionesque extraordinarias.

Questio decima sexta.

An Heros possit esse malus?

Heros, quā talis, malus non est. Hæc enim virtus involvit quandam eminentiam, quæ cum moralibus vitiis in uno subjecto

non moratur. Nota hic quorundam Ethicorum monitum: Heroes secundum unam atque alteram virtutem excellere posse, in reliquis deficere. Sed quærimus, quomodo hoc conveniat cum Summo bono, quod est operatio secundum virtutem optimam & perfectissimam, hoc est, uti declarant, secundum omnes omnium virtutum actiones: ubi enim defectus est, ibi non est actio secundum omnes virtutes. Si monitum hoc Ethicorum valet, etiam in Heroe est defectus, quatenus nempe in statu existentia consideratur, & in seu exercito, ut loquuntur filij Metaphysicorum.

Questio decima septima.

An omnibus seculis inventi fuerint heroes?

Nunquam manus Domini fuit abbreviata, neque publica cœsavit utilitas. Ergò dubium non est, quin Deus omnibus seculis magnos viros excitet, qui Ecclesiæ & Reipub. collabenti opem ferant. Certum sanè est, Deum omni tempore etiam extra Ecclesiam edidisse operationes generales, quæ communi naturæ ordine continentur, & speciales, quæ aliquid eximium habent. Ergò & omni tempore virtus heroica valuit. Nam absq; hâc si esse set mundus, omnis jamdudum in eo exularet religio, pudor, jus, pietas, fides. Neq; putandum, Heroes non esse, si non reperiantur. Ut enim virtus communis, ita & Heroica per totam terrarum orbem diffunditur, sæpè tamen, si rei bene gerendæ non detur occasio, summa ingenia in occulto latent. Ad id alludit Ovidius:

Hectora quis nosset, felix si Troja fuisset?

Publica virtutis per mala facta via est.

Questio decima octava.

Num facta Heroum sint voluntaria?

Ad mixtas actiones quodammodo possunt referri. Nam dum principium agendi externum magis est, quam internum, naturam imitantur involuntariè. Sed dum externo illi principio non repugnant, sed consentiunt, nec hoc solùm, verùm & more quodam

BOD

dam planè singulare apprehendunt, eique obsequium maximè spontaneum præstant, ad naturam voluntarij quodommodo accedunt.

Quæstio decima nona.

**Num heroibus omnia sint faciliora, quam
aliis?**

Affirmant id sequentes rationes: 1. quia non tantum peculiari instinctu atque impetu feruntur ad agendum, sed etiam singulari Dei afflatu & ductu. 2. Quia vehementissimè ardent amore virtutis atque honestatis, quo ad agendum excitantur. 3. quia opportunitates atque occasions rerum agendarum majores habent, quam alij homines. 4. quia successum majorem, quam alij in agendo à Deo consequuntur. 5. quia nullis molestiis à proposito abstrahuntur, ita ut felicissimè ijs succedant omnia, in quibus nulli tam felix evenatus respondet. Hinc sit, ut Deus, ubi vult aliquid admiratione dignum in Ecclesiâ efficere, heroicæ excitet ingenia, quorum operâ præter omnem expectationem id celeriter efficit.

Quæstio Vicesima.

**An Heroi licitum sit pro vita nonnunquam
eligere mortem?**

Mors consideratur tripliciter: Theologicè, Physicè atq; Ethicè. Mors Theologicè loquendo homini eligenda præ vita, legitimo tamen modo, quia propositis duobus bonis, semper eligitur id, quod majus videtur. Hæc autem caduca vita collata, ad æternam est minus bonum. Ergò. Moraliter mors nonnunquam eligenda est vitæque præferenda, si vel in salutem patriæ cedat, vel secundum virtutem vita peragi amplius nequeat. Non enim nobis, sed patriæ nati sumus. Non vivere boni ~~m~~ est, sed benè vivere. Naturaliter mors nunquam elitur præ vita, quia vita bonum est, mors malum. Appetitus autem nunquam fertur in malum, ut malum, sed semper in bonum.

Conclu-

21 VI 18

Conclusio.

Specialem, Deo nostris laboribus adspirante, ἀρετολογίας octo disputationibus absolvimus. Plurima, imò omnia ex publicis Dn. M. Wilhelmi Nigrini, ad cuius pedes integrum quadriennium qua publicè quaproprivatim sedi, dictatis publicis mutuò sumsi, omissis oppositionibus, exemplis atq; allegatis. Ita tamen tractavimus tum explicationes, tum questiones, ut ex his ad plura, quæ objici possent, respondeatur. Si quid fuerit omissum, posterior diligentia emendabit, deficiens integrabit & luxurians amputabit. Eudacuovo-λογίας unà cum ἀρετολογίᾳ generali primo aggrediar tempore, ubi Deus nobis concedit sanitatem bellicosq; compescet tumultus. Nam nulla salus bello, pacem te poscimus omnes.

Praestantissimo Dn. Respondenti, amico & collegæ meo dilecto.

Si sic continuas studium, PIRGLERE, redibis
Moribus egregiis cultus & arte domum.

Præses,

Si rosa, si violæ, si spirant lilia odorem
Tu, CASPARE, Ethico vincis odore rosas.
Quis dubitat? Virtutis odor post funera vivit:
At rosa cum violis sole cadente cadit.
Gratulor ergò Tibi, cum talem spargis odorem,
Qui valet Hungaricos exhilarare lares.


Johannes Kuzera
SS. Theol. Stud.

F I N I S.

05 A 2374

ULB Halle
003 784 41X

3



W.M.

Pbh




Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-500695-p0028-1

DFG

Farbkarte #13



Ex Philosophiâ Practicâ
de
nivirtutibus & Heroicâ,
Duce Deo & Præside
MICHAELE WENDELERO,
Facult. Philosoph. Adjuncto,
CASPARUS PIRGLERUS
Posoniensis Ungarus
publicè disputabit
die 15. Maij horis matutinis
In Auditorio majori.
WITTEBERGÆ,
s JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.
ANNO M DC XXXIX.